



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Lutetia in Hispaniam, inde in Italiam discedit. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

diuinarum, crebra peccatorum cōfessione, atque sacratissimi Domini nostri Iesu Christi corporis sumptione, tractatione ipsa litterarum, quæ quoniam sacrę erant, & in Deum iam tum referebātur, magnū pietati etiā adiumentū adferebant: ardenti se Deo consecrandi desiderio, paupertatis voto iam edito, & in annos singulos renouato, frequenti ac penè quotidiano cōgressu, concordissimæ vitæ consuetudine, rerumq; omniū, atque animorū communicatione. Solebant etiam, veteri sanctorum more, alij apud alios cęnitare, & spiritualibus colloquijs sese ad sæculi contēptum, rerumq; diuinarum studium incitare. Quibus rebus factum est, vt toto illo tempore, quo Lutetiæ, vt instituta studia absoluerēt, remanserunt, non modò nulla de illorum ardentivolūtate decessio, verum etiam magna in dies accessio fieret.

LV TETIA IN HISPANIAM

inde in Italiam discedit.

CAPVT V.

INterim Ignatius grauissimis stomachi dolorib. conficiebatur: quare cū reb. omnibus tentatis, nullum morbo remediū inueniret, medicorū

consilio, sociorumque cohortatione,
 in Hispaniâ est redire coactus, atque ex-
 periri, num loci mutatio, natiuique so-
 li salubritas, vel sanitatem posset, vel
 morbi certè leuationem aliquam ad-
 ferre. Quod Ignatius eò libētius fecit,
 quod ex socijs nonnulli ea negotia ha-
 bebant in Hispania, quæ si ipse expedi-
 uisset, magna illos cura ac molestia li-
 berasset. Itaque anno 1535. Ignatius so-
 cijque res ita inter se componunt, ut i-
 pse in patriam reuertatur, ex morbo
 confirmatus, sociorum negotia dili-
 genter agat; Venetias tū profici scatur:
 socij verò, usque ad diem octauū ante
 Kalendas Februarias. 1537. Lutetia in
 studio literarum sint, eoque ipso die Ve-
 netias versus decedant, ut sese cū Igna-
 tio coniungant. Ignatius igitur, iumē-
 to propter summam illius imbecilli-
 tatem à socijs coempto, iter in Hispa-
 niam ingreditur: in patriamque fir-
 mior paulò, quàm Lutetia discesserat,
 venit; ubi obuiam illi sacerdotes om-
 nes processerunt. Ut verò ad fratrem
 suum diuerteret, adduci nulla ratione
 potuit, sed in publica hospitalique
 domo diuersatus est, stipemque collige-
 re ostiatī cœpit (multū fratre repugnā-
 te)

te) & Christianę fidei rudimēta pueros docere. A cuius quidem explicatione, frater natus maior ut Ignatiū auerteret, futurā auditorū paucitatē obtēdit. Sed Ignatius vel vāi modō puerū sibi instar omnium fore dixit: nihilq; vel voluntatē fratris, vel prudentiā veritus, eā ipsā institutionem fidei tradere aggressus est, ad quā deinde frater etiā ipse ventitabat, magnaq; nominū copia cōfluebat. Ad cōciones verō, quas singulis dieb. Dominicis, ferijsq; nonnullis, magno audientiū fructu ad populum habebat, tantus ex longinquis illius prouincię locis fiebat cōcursus, ut prę multitudine, ipse in agris concionari, & auditores arbores cōplere cogērētur. In prima autē concione, quā Azpetię habuit, magna totius nobilitatis ac populi multitudinē audiente, dixisse fertur Ignatius, quiddam, quod hic subiiciam, tū vt quanto studio, & suę mortificationi atque contemptui, & alienę famę, atq; existimationi consuleret: tum verō vt intelligamus, quantum inter Dei vias & sæculi intersit, & quā diuersum atque omninō contrariū iter sequantur illi, qui Deo Duce atq; authore viuunt, ab alijs qui carnī & sanguini seruiunt, & per o-

lib. 2. cōf.
cap. 4.

ne genus flagitij volutantur. Quod videre etiam est in beatissimi Patris Augustini Confessionū libro, in quo amarissimè deflet adolescentiæ suæ errata, & pro magno atq; grauissimo scelere enumerat, quod puer fecit; huic exemplo simile quod Ignatius de se narravit, suntque sanctorum historiæ similibus exēplis passim refertæ. Dixit itaq; Ignatius in concione, se quidem in patriā rediisse, cū alias ob causas, tum verò potissimum, vt quos populos deprauatis moribus olim grauitè adulescēs offenderat, aliqua melioris vitæ commutatione, si posset ædificaret, & præteritæ vitæ maculas lacrymis tegeret, culpasq; contractas, bene factis palàm expiaret, quo pœnitentiæ suæ iidem testes essent, qui solutæ atq; profligatæ vitæ antea fuissent. Præcipue verò se diu multumq; in magno dolore atq; mœrore fuisse aiebat, & acerbissimis conscientiæ stimulis exagitatū, quòd adolescens vnà cum alijs adolescentibus in hortū cuiusdam ciuis simul intrasset, & fructuum aliquantulā copiam furtim abstulisset, magno domini damno. Qui quòd furti autorem nesciret, falsa suspicione deceptus hominem quendam in custodiam trahi

tradi curasset, ac pecuniæ certa summa
multari: itaq; nulla sua culpa, nullo
merito, & fama & bonis illum miserū
spoliatū fuisse. Ego, inquit, sum reus, il
le innocens est: ego deliqui, ego erra
ui, ille pœnas haud debitas luit; ho
minemque ipsum, qui in cōcione for
tè aderat, proprio nomine appellans,
etiā atq; etiam rogar, sibi vti ignoscat.
Se quidē publicè voluisse bonæ illius
exillimationi (vt par erat) satisfacere:
& vt iacturam bonorum, quam sua
causa fecerat, etiam resarciret, & quan
tū posset compensaret, habere se dixit
possiones duas, quas illi dono om
nibus audientib. dedit. Quibus quidem
operibus, & vitæ exemplo, prudentia
que tantum apud illos, homines pro
fecit, vt errores multos corrigeret; vi
tia, quæ in sacerdotum etiam mores
irreperant, & longa iam consuetudi
ne honestatis nomē obsederant, emē
dare non destitit: multa que constitu
it, quæ ad hominum mores confor
mandos, pietatemq; augendam perti
nerent. In his scueræ leges fuerunt e
ius opera latæ à magistratib⁹, de alea,
de concubinato sacerdotum. Nam cū
patrio more Virgines, quoad viro tra
derentur, capite aperto essent, pessi
mo

mo exemplo multæ, cum apud clericos turpiter viuerent; perinde caput obnubebant, ac si legitimo eis matrimonio iunctæ fuissent: quibus fidem, quasi maritis, præstabant. Quod nefarium institutū, ac sacrilegum, funditus tollendum curauit: & ut egenis, medicisq; hominib; sumptus ad vitam tolerandam suppeditaretur, prouidit: atque etiā ut ter in die, mane, meridie, vesperi, populus ad orandum, campanæ pulsu admoneretur, Deoq; maxime pro illis supplicaretur, qui mortifero aliquo peccato obstricti tenerentur. Quibus rebus, alijsq; id genus constitutis, releuat morbo, quo in patria etiam impeditus est, ad negocia sociorum gerenda decessit. Sed cum pedibus, & absque vlla prorsus pecunia ire vellet, alia Ignatio cum fratre contentio renouatur. Ille enim, qui sibi esse ignominia duxerat, fratrem suum ad pauperes potius, quàm ad se diuertisse, abiectum despectumq; summa sui contempione, medicato etiam in oculis suis vixisse, ut huic dedecori morderetur, & obscurati honoris (ut minus prudentibus rerū æstimatoribus videri poterat) damnū resarciret; illud vehementissimè pugnabat, ut eques, at

Bene nummatus, comitatusque discederet. Quem ut leniret Ignatius, quominus se proficiscentem frater reliquique necessarii, prosequerentur, haud multum laboravit. Cum digressi comites essent, finesque illius provinciae ipse excessisset, equum reliquit, pedibus, pecuniaque vacuus, Pompeiopolim primum venit: tum Almazanum, Seguntum, Toletum peragravit, ut negotia sibi data ab sociis ageret. Quibus cum illorum parentibus ita transactis, vane obolum quidem ab illis, vltro etiam pecuniam liberaliter offerentibus, acciperet: denique Valentiam venit. Ibi amicis contradicentibus atque dissuadentibus, navigationem (quod Aenobarbus, nobilis Turcarum archipyrata, valida classe Tyrrhenum mare: tum forte obsidere diceretur), nihil periculi magnitudine commotus, nauim conscendit. Ea navigatio grauis fuit ac periculosa: malo enim nauis disiecto, multisque armamentis, vi tempestatis vel amissis vel labefactatis, spei nihil esse ad salutem videbatur: ex quo ad mortem se omnes parant. Ex quibus Ignatius se diligenter excutiens, animumque suum perterritans, atque explorans, timere nullo modo poterat.

terat. Pungebatur tamen acri dolori
morsu, quod non satis diuinis donis
haectenus respondisset: quod tot bene-
ficijs tam plena manu à Deo in se col-
latis, minus strenuè gnauiterque usus
esset, vel in suam, vel in proximorū v-
tilitatē. Perfunctus eo periculo, placatisq;
fluctibus, Genuam venit; in de Bo-
noniam maximo grauissimoq; viæ di-
scrimine. Cum enim solus per alpium
radices iter faceret, à via aberrauit, in
easque angustias aliquando incidit, ut
edito præruptoq; loco, amne depresso,
rapidissimoque subterlabente, neq;
progredi, neque regredi posset, cum,
quacunq; se verteret, mirandæ altitudi-
nis præcipitium, atq; horribilis immi-
nentis casus formido ubiq; occurre-
ret. Sed bene longum viæ spatium ma-
nibus, pedibusq; reptans confecit, &
Dei misericordia tandem euasit. In
ipso Bononiæ vrbis ingressu, ex ponti-
culo ligneo in fossam cecidit, ex qua
cum cœno oblitus, sordibusq; scædatis
emersisset, risum spectantibus mouit:
atq; ita urbem ingressus, totamq; ob-
ambulans, eleemosynam petens, qui-
terunciū aut panis frustulum sibi da-
ret, inuenit neminem. Quod in tam o-
pulentia, tamq; celebri ac benigna ciui-
tate.

ate permirum est: sed probat suos inter-
 dum Dominus. Illic tamen morbum
 contraxit, quem paulò post depulit,
 seque eo quo venerat modo, Veneti-
 as contulit. Ibi venturos socios, ut in-
 ter ipsos conuenerat, opperitur.

*VENETIIS ACCVSATVS,
 & innocens declaratur.*

CAPVT VI.

Nequè tamè hoc tempore ocio-
 sus Ignatius fuit: nam solita vi-
 gilancia & charitate in salutem
 proximorum incumberebat. Quapro-
 pter nonnullos ad Christi Domini no-
 stri sequenda cõsilia permouit. In hoc
 numero ponuntur fratres Germani-
 duo, Iacobus, Stephanusque Guia, ho-
 mines honesti, ætateque prouecti, qui
 Hierosolymis redeũtes, in Ignatium,
 cuius familiares Compluti fuerant,
 Venetijs inciderunt, & sanctissimè in
 Societate postea mortui sũt. In his et-
 iam numeratur quidem Hozius Hispa-
 nus, vir eruditus ac probus, qui multũ
 quidem Ignatij virtute atq; doctrina
 capiebatur; haud tamè audebat totum
 se illi penitusque committere, quòd
 multa de eo audiisset, vel malitiosè
 ab